



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Ecclesiae Romanensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.

Cvm expectaverimus hactenus ut nobilis vir Raymundus Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera comunitionum nostrarum rivulis irrigata, fructus ederet opportunos, & tamquam princeps catholicus honoraret sanctam Ecclesiam sponsam Christi, ipse pravo circumventus consilio, non solum damna sterilitatis incurrit, ad honorem Dei & utilitatem Ecclesie expectatos fructus nullatenus producendo, verum etiam dispositionibus ecclesiasticis nequiter se opponit, contra promissa & juramenta sua veniens impudenter. Vnde cum in ipsum a venerabili fratre nostro Episcopo Vticensi & dilecto filio Cisterciensi Abbate apostolica sedis Legatis de multorum Prælatorum consilio sententia promulgata fuerit ob ejusdem contumaciam manifestam, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter promulgatam publicari per vestras dioceses faciatis, & appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

E I S D E M.

Cvm expectaverimus &c. usque manifestam, & nos mandemus eandem sententiam usque ad satisfactionem condignam appellatione remota firmiter observari, fraternitati vestre per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ad recuperanda castra & alias possessiones & terras quæ ab Ecclesiis vestris tenet insistatis viriliter & prudenter.

VIVARIENSI EPISCOPO.

Cvm expectaverimus hactenus ut nobilis vir R. Tolosanus Comes, tamquam arbor fructifera &c. in eundem ferè modum ut in alia usque in finem. Datum ut in alia per totum.

VTICENSI EPISCOPO
& Abbati Cisterciensi apostolicæ
sedis Legatis.

Cvm in nobiles viros Comitem Folcalcariensem, G. Ademari, Lambertum de Montilio, Dominos & Dominas Castri novi & Dozaræ, Silvium de Crista, Alasiam de Roca, Præpositum Valentiniensem, Artaldum de Ruffillon, ... fratrem ipsius, & quosdam alios, propter pedagia, exactiones indebitas, & alias ini-

quitates quas in stratis publicis & fluminibus committere non verentur, a te, fili Abbas, de multorum Prælatorum consilio sententia fuerit promulgata, discretionem vestram per apostolica scripta mandamus quatinus eandem sententiam rationabiliter latam faciatis appellatione remota per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam firmiter observari. Datum ut in alia.

E I S D E M.

Cvm in Roncelinum apostatam & perjurum & cives Massilienses, pro eo quod ei obediunt & favent in suis abominationibus manifestè, a vobis de multorum Prælatorum consilio &c. ut in alia usque in finem. Datum Laterani xviij. Kal. Maij, anno quartodecimo.

CAPITULO ECCLESIE
Romanensis.

Ivlis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus inclinati, regalia vobis ab Imperatoribus & aliis Principibus secularibus, in foro videlicet & in nudinis, necnon & transitu fluminis Isaræ, pia vobis devotione concessa, sicut ea iustè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani xiiii. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

E I S D E M.

Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis precibus inclinati, laudabiles & honestas consuetudines ac statuta quæ ad Ecclesie vestre utilitatem providè facta esse noscuntur, sicut hactenus pacificè sunt obtenta, & in authenticis super his confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum ut in alia per totum.



Epist. 13. Super eadem.

Epist. 16. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 16. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 17. Super eodem.

Epist. 18. Super eodem.

Epist. 19. Ne indicantur pedagia exactionum indebitarum.

Epist. 40. De sententia lata contra Roncelinum.

Epist. 41. Confirmantur eis regalia dona.

Epist. 42. Confirmantur eorum statuta.